

Quaestio medico chirurgica ... An ad feliciorem citioremque ulcerum curationem conferat blandior et rarior medicatio? / [Jean François Jacques Roussille de Chamseru].

Contributors

Roussille de Chamseru, Jean François Jacques, 1750-
Pathiot, Louis, -1777.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1772]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s2rx5jjb>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



VIGILANTISSIMO
DECANO,
LUDOVICO-PETRO-FELICI-RENATO
LETHIEULIER.

*Hoc Opus, tibi consecrandum suavit grati studium animi,
voluit Collegarum pietas ac reverentia, jussit Magistrorum
amor & existimatio. Omnium cordi inhæres, prædicaris ore,
oculis arrides. Hæc tua laus: hoc meum incitamentum.*

Offerebat humillimus, addictissimus
& obsequentissimus servus,
J. F. J. ROUSSILLE DE CHAMSERU,
S. F. M. P. Baccalaureus Emeritus.



VIGILANTISIMO
DECANO
ADDOCTO-TELLICT-RINO
THE, THE, THE, THE, THE

... et ...
...
...
...

...
...
...



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-octavâ
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXII.*

M. LUDOVICO PATHIOT,

Doctore Medico, Præside.

*An ad feliciorē citioremque Ulcerum curationem conferat blandior
& rarior Medicatio?*

I.

1. **Q**U AN QU AM sanguinis genuina mixtio & indoles ita sunt à Nat-
turâ comparatæ, ut in corruptionem admodum pronus evadat, nullâ
tamen, in corpore vivo, putredinis labe deliquescit, quandiū motus
diversi, quibus per vasorum rapitur ambages, ad sanitatis normam
temperantur.

2. Tunc enim latex ille, dum à corde versùs extremos artus circumagitur, in va-
rios humores cuilibet dicatos visceri dividendus, organis excretoriis continuo haustu
ebibendum propinat quidquid adulterum è turbido globulorum vortice calor anima-
lis evolvit. Hic igitur motus progressivus foràs ejiciendis prospicit fordibus, quas
motus intestinalis explicat.

3. Sanguis indè (1. 2.) fluit continuâ expurgatione floridus, & chylo identidè
immixto aliundè dives : affulget indè sanitas, seu mirabilis actionum omnium ad cor-
poris animantis incolumitatem conspiratio, quæquidem perennat, modò sanguinis
bini motus vi æquali & moderatâ usquè dirigantur.

4. Si verò, datâ quâcunque causâ, absit illorum æquabilitas, si, exempli gratiâ,
liquorem vasi cuidam irrepentem & ultrà progressurum obex obvius arceat, tùm

undis ex adverso confluentibus turgēt rivus, intumescit vas, intenduntur fibræ, laborant nervi, crescit calor, adaugetur erethismus, exuperat motus intestinus, & sanguis, quem sero exhaustum spissaverant primi caloris insultus, in putridam colluviem vergit.

5. Sic (4.) se habent mille morbi, quibus obruitur humana gens: sic se habet *Ulcus*, cui pertractando sumus potissimum immoraturi. Adest autem id malum quotiēs mollibus insedit partibus, effluente puri & amissâ substantiâ, solutio continui, quæ jampridem, aut infligta fuit, aut alio prægresso malo saltem imminebat.

6. Hanc paucis haud immerito definierimus *focum putridum in parte molli exorientem*. Accipienda tamen est cum temperamento quodam nostra assertio. *Febrem* inter & *Gangranam* maximum patet intervallum quod veluti furoris sui sedem animalis tenet *putrefactio*: ibi sexcentas induit larvas, quò certiores ictus inferat: in limine quidem docilis, in medio spatio ferox, in limite verò hostis infensissimus.

7. Sui sunt ergo *putrefactioni* gradus diversi; (6) sua sunt etiã *Ulceribus* discrimina, quæ à qualitate *Puris* primario fluere arbitramur. *Pus enim* tanquam sobolem *putredo* sibi vindicat. Triplex ut ipsummet *ULCUS* distinguendum est; 1º. *bonum*, seu *legitimum*, *laudabile*, &c. 2º. *malum*, seu *ichor*, *sanies*, *sordes*; &c. 3º. *virulentum* seu à pravâ quavis diathesi sanguinis progenitum.

8. De tribus hisce generibus dicemus. Itaque ratione & experimento innixi ad lancem institutæ quæstionis ponderabimus 1º. quidquid *Ulceri boni moris*, vel *simplici* competit, 2º. varias species *Ulceris ichorosi*, *saniosi*, &c. seu *mali moris*, 3º. *Ulcus virulentum*.

I I.

9. **U**T primum animale corpus invadit *putrefactio*, labefactatur ipsius intima compages, dehiscunt elementa hucusquæ coherentia, & quæ modò solida stabat moles, in putridam saniem undiquæ diffluit. Teterimus hostis & mortuo & vivo eandem ferè minitatur perniciem: iisdem utiquæ debellandus armis, & ab utroque propellendus erit.

10. Verum dispari modo pro unoquoque componendus est horumce apparatus. Etenim dum ex. gr. *ovilis caruncula* putrescit, nihil aliud conferre posse ad ejus integritatem recuperandam judicamus nisi *vinculum*, quo sibi invicem impacta concreverunt, & quo soluta deliquescunt elementa. (a) Si hominem vivum *Putrefactio* lacestat, idem *vinculum* rumpitur, idem pariter restituendum: sed habenda est insuper ratio *machinationis hydraulicæ* quâ Homo vivit. (b).

11. Itaque, quamvis in utroque casu (10.) medelæ genus idem adhibeatur, (9)

(a) Vinculum illud, citrà quod putridâ colliquatione fatiscunt corpora, aërem fixum esse censuit Celeb. Macbride. Hujus opinioni assensum præbuerunt, arridente *Divionensi Academiâ* Viri optimæ notæ de Boissieu & Bordenave; denegaverunt autem alii, Venet. Monspeliis, de Haen, in Germaniâ, &c. Inter tantos litem compo-

nere non licet: rem nostram solummodò spectant innumera experimenta, quibus evidentiùs constat præfatum vinculum, sive sit aër fixus, sive quid aliud, servari & restitui posse à materiis selectis, quæ ideò *antiseptica* prædicantur.

(b) Vide Clar. de Boissieu, *Dissertations sur les antiseptiques*, Dijon, 1769. pag. 36.

ita dispensatur in posteriori ut solidorum & fluidorum mutua commercia semper foveat. Quum enim ab illorum consensu turbato primam originem duxerit *putredo*, (4) ab eodem renovato & firmato pendet omnis *antisepticorum* efficacia. (1. 2. 3.)

12. Quando igitur, apertis *Abscessibus*, cruento panditur hiatus cavum in quo incarcerabatur purulenta congeries, reliqui *puris* adhuc latitantis crasim optimam ejectionemque congruam obtinebis, si consulas quid valeant solida & fluida partem ulceratam efformantia, quid ferre recusent. Interroganda est obsequiosa parens Natura. Ipsius fermo cuilibet attendenti obvius est, si comparatio statuatur *Ulcus* (5) inter & *Solutionem-continui-cum-amissâ-substantiâ*, quæ præcisum membrum subsequitur. Si enim ad hujus sanationem solius linamenti sicci rara applicatio Naturæ satis sit, (c) in *Ulcere simplici* certè paulò plus solum illa exigit.

13. Immò si huic ut illi duntaxat admoveretur linamentum siccum, nullus profectò dubitandi locus est quin Natura, quæ quasi sub umbrâ hospitali delitesceret, quæque cæteroquin sibimetipsi relicta foret, legitimam nihilominus materiæ purulentæ effusionem propriâ vi perficeret. Id quidem evincit experientia quorundam, qui hâc methodo simplici *Ulcera* medicationem longius prosequuntur & quandoque feliciter absolvunt.

14. Verùm hoc medendi genere, quamvis illius jactitent successus, parùm recreari Naturam haud immeritò affirmaverimus. Ab arte potenti præstantius adjumentum efflagitat. Latet adhuc, ceu doloso cineri suppositus ignis, *inflammatio*, quam erumpens vomica (12.) compressit, non verò extinxit. Ergo rigiditate spasmodicâ jampridem laborant partis ulceratæ solida: inest aliundè fluidis spissitudo quædam. (4.)

15. Ut laudabilis eveniat *suppuratio*, his temperata systole, illis nativa lenitas tenuitasque restituendæ sunt. Sic vasorum & liquorum ad liberam excretionem exoritur consensus, & status morbosus ad sanum propius accedit: hâc solâ conditione Natura sui juris roborisque fit compos: imbellis è contrâ remanet quamdiù tumultus invalescit. (4.)

16. Quanta sit artis excellentia quantumque pondus, ut his indicationibus (15.) satisfiat, quis haud præsentit? Nonne regnum vegetabile nobis indigitat vastum veluti campum, ubi ad metam assequendam mille recluduntur aditus. *Herbæ simplices* genuina fuisse videntur auxilia, quibus *Ulcera* ut & *Vulnera* levaverint pristinae ætatis Homines. Modò plagam demulcebant succo expresso & instillato; modò foliis impositis labia fovebant; modò herbâ ipsâ contusâ dolentes artus circumtegebant: vix exquisitiores plantarum usus novêrunt.

17. Quò longius rerum medicarum limites dein propagavit necessitas artium procreatrix, eò major innotuit utilitas pharmacorum, quæ diutius asservari ad usum & in promptu semper haberi possent. Hinc qui rei vulnerariæ operam navârunt, à medicamentis simplicibus, quæ fors objecerat, ad artificiosas devenère mixtiones, quas ratio dedit. Eidem compositioni immixtæ fuerunt diversarum plantarum diversæ partes; imò etiâ novum è mineralibus & animalibus accersitum fuit adjutorium.

18. Hæc fuerunt Pharmaciae traumaticæ rudimenta & incunabula. (17.) Quot &

(c) Vid. acta Academ. Reg. Chirurg. Paris. tom. 4. in 4. pag. 65. & seq.

quantis compositionum proventibus à primâ origine citius amplificata fuerit, non mirum videbitur, si illius ad fontes uberrimos mentis contemplatio dirigatur. Etenim è triplici Naturæ regno affatim scaturiunt simplicia, quorum innumeris complexionibus copulationibusque tentatis innumera efficiendi composita pharmaca cuique potestas fuit. Equidem *non fecit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota parens illa ac divina rerum artifex* (Natura). (d) Sed, quidquid exprobet Plinius, (e) nobis nihilominus cupiditatem ingenuit hæcce omnia inveniendi, utpotè quæ ad locos, ad tempora, ad partes ipsas tutius accommodari valeant. (17.)

19. Quùm igitur è communi latice rivulos quoslibet ad arbitrium deflectere, & confectari omnibus licuerit, in diversis autoribus & hodiè apud nos varietate quâdam *ingredientium* distincta videmus *unguenta*, quæ *suppurationi Ulceris* (12.) promovendæ inserviunt. Attamen vulgatissima in eo congruunt, quod *pinguedinum & oleorum* vis nimium laxans additis quamplurimùm *balsamico-aromaticis* obvolvatur.

20. Hæc è medicamentoso membrorum amputatorum apparatu exemplis Celeb. *Pibrac* (f), sagacissimâ edoctus observatione ab illorum usu maximam istorum adulterationem emergere. Non verò tantum discrimen collocandum est *Ulcus* inter & præfatum *vulnus-cum-amissâ-substantiâ* (12.), ut prius omninò respuere censeatur blandam medicationem, quam posterius clamat. Carnes utriusque abhorrent tum à torpore, quem inducit intempestiva *pinguedinum & oleorum* perfusio, tum ab irritamento, quod pungentibus *balsamorum* acubus incitatur. (g).

21. Ob id solum à vulnere suprâ allato (20.) claudicat *Ulcus*, quod aperto *abscessui* superstes adhuc parietum infarctus (14.) aliquid negotii Naturæ facebat. Suas autem vires colligit illa, nec leves dedignatur, quos admoveere potest ars amica, stimulos, & ab ipsamet *pinguium & balsamicorum* misturâ elicere, quamdiu ad normam indicationum (15.) dirigitur.

22. In communi praxi duplex circa hæc *unguenta*, (19. 20.) quæ *digestiva* audiunt, abusus irrepfit. Non solum obruitur *Ulcus* penicillis horum crassitudine nimia imbutis, sed & sæpius, v. g. bis in die, renovatâ eadem profusione vellicantur. Non satis est semel telum adegisse acerrimum: citius evellitur ut crebris jactibus alia succedant.

23. Prima *unguenti* titillatione corrugantur oscula *pus* stillantia; dein profundius impactis *balsamicorum* cuspidibus horret tota *Ulceris* superficies. Hujus irritationem manifestò arguit dolor urens, quo paulò post singulas deligationes conqueruntur ægri. Ab exterioribus fibris, quæ jugiter laceffitæ rupturam minitantur, ad altiores fibras ineluctabilis serpit erethismus: oleum camino addunt numerosissimi particularum *oleosofpirituosarum* halitus, ob eminentem quâ pollent subtilitatem ac mobilitatem, per minimos poros in intimis parietibus divisi: nova subdunt calcaria solidis nimium actuo-
sis, & liquores jam vividius exagitatos in motum vehementiorem secum rapiunt.

24. Tunc immutatur primus uredinis sensus, quem *unguentum* recens illinitum (23.)

(d) Vid. *Plinii Hist. Nat.* lib. 22. cap. 24.

(e) Vid. loc. cit. & lib. 24. cap. 1.

(f) Vid. act. Acad. Chirurg. Paris. tom. 4. pag. 68.

(g) Vid. loc. cit. act. Acad. Reg. Chir. Paris.

ad exteriora imprefferat : fit moleſtiſſimus ardor, quem ad interiora ſecum devehunt, & quaſi diſſeminant acria *balsamorum* effluvia. Recluſum *Ulcus* foedâ ſordet illuvie : in eodem gremio promiſcuè nidulantur purulentum cœnum, & *unguenti* exhausti fæces. Vix aliud ab alio diſtinxeris : ex hoc tabo ſpargitur odor graviſſimus, haud dubium *ingeneratæ corruptionis* ſignum : (4. 5.) ad ſuperficiem *Ulceris* fibræ pallidæ & extenuatæ videntur.

25. Deſecto *digerentium unguentorum* abuſu, (22.) deſectis etiâ noxis quas importat, (23. 24.) illa tanquam *putrefacientia* ſeu *ſeptica* habere licet quandiù, ut mos eſt, in *Ulcerebus* profunduntur. Hanc ſolam agendi rationem iis tribuere non dubitarunt plurimi, qui diuturnum humoris vitiati fluxum ab ipsis obtinere ſolebant, nec aliam *ſuppurationi* tutiorem viam patere ſuſpicabantur. In errorem illos rapuerat vetus conſuetudo quâ mens occalluerat : (h) nubem pro Junone captabant : abuſum rei, non uſum, malos effectus, non bonos noverant. Haud immeritò hæc *unguenta* ut *antiſeptica* commendavit Clar. *Queſnay* (i), quùm potiſſima pars eorum merè *balsamica* ſit, adeoque putredinem potenter arcere valeat.

26. Horum autem *antiſeptica* virtus non emicat in corpore vivo, niſi manu parciffimâ linamento vel linteolo extendantur. Nullum ſanè dubium eſt quominùs in iis diſpenſandis ſit modus, certique ſint fines, quos ultrâ tenacior tetriciorque conſiſtit *putrefactio*, nedùm declinet (9. 10. 11.). Qualemcunque enim tibi finxeris illorum præſtantiam, contrarios nihilominùs optatis effectus exhibebunt, ſimul ac nervorum ſenſum, vaſorum contractionem, caloriſque gradum nimis adauxerint. (4.) Si verò illorum vis obtaculi momento (21.) determinetur & Naturæ molimina non exuperet, (15.) tunc ejuſce modi *unguenta* firmando vaſorum & liquorum commercio (11.) famulantur, moderatam ſinceri *puris* excretionem invitant, ipſique immiſta à corruptione tutius efficiunt.

27. *Suppurantis* tamen *ulceris* ad perficiendam curationem haud ſatis eſt prædictorum medicamentorum vim nocivam infregiſſe. (26.) Morbus adhuc jubet ut alius extirpetur abuſus, ut, nempe, deligationum frequentia (22.) vitetur. Cujus legis neceſſitatem, fauſtis ſuadentibus experimentis, tam fervido arripuerat animo *Cæſar Magatus*, ut amplum opus de eâ conſcripſerit (k). Illudquidem *vulnera* tantummodò ſpectare videtur. Verùm, teſte *Joanne-Bapt. Magato* fratre, feliciter etiam *Ulcerebus* ſolutionem raram adhibuit *Cæſar* (l).

28. Ad oblatam methodum ab his ad illa transferendum, aliundè nobis tribuit graviſſimam authoritatem *Dionyſius-Andræas Sencallanus* qui tanto ſtudio *Cæſaris Magati* veſtigia preſſit. » Abſceſſus, inquit, qui dici poteſt ſinus abſque exitu, quùm ſe-

(h) Il ſemble que dans les choſes ordinaires l'habitude éloigne l'uſage de la reflexion, & que la vue de l'eſprit ſoit moins perçante à proportion de la facilité que les yeux ont d'être frappés des objets avec leſquels ont eſt le plus familiarisé. Vid. tom. 4. act. Acad. Reg. Chir. Par. pag. 66.

(i) *Traité du la ſuppuration*, 1749. pag. 226.

(k) *Cæſaris Magati* de rarâ vulnerum Medicatione, 2 vol. in-4. Lept. 1733. ed. Shmidt.

(l) Vid. Ad calcem hujusce operis, tractationem J. B. Magati fratris, quâ rara vulnerum Medicatio defenditur contra *Sennertum*. Tom. 2. pag. 600. Conſider. 6.

» mel'apertus fuit, octo aut decem dierum spatio carne completur, dummodò ossa in-
 » tegra remaneant. Quantacunque autem sit illiùs amplitudo, semel aut bis, ut ma-
 » ximè, intra id tempus hunc exsolvere fas est. . . . sinus, qui est Ulcus naturali suo
 » obumbratus tegumento, citrà remedia fanescit; & in promptu venit felix ille even-
 » tus, si, inciso abscessu, coopertus teneatur, rarisque medicationibus recludatur. « (m)

29. Talia documenta, licèt paradoxon propè redoleant nobis tamen maximo sunt pretio, simul atque numeris omnibus absoluta ea infusuravit observatio, quæ sola, quùm medicæ res innovandæ sunt, in consilium accersenda est. Ut nos ipsi tentavimus, (& cuilibet tentandi conceditur æqua potestas,) si sæpiùs ex deligatione retegatur *suppurans Ulcus*, copiosior ab eo scaturit proventus purulentiarum, seu, ut cum antiquis ait *Cæsar Magatus*, excrementorum, longiùsque à *deterfione* declinat *Ulcus* aspectus. Si rara econtrà ipsi medicatio confertur, parcior ac sincerior renidet *puris* excretio, vicinioris utiquè sanationis prænuncia.

30. In tanto effectuum discrimine (30.) nihil obstupefcet quisquis adamussim per-
 sitare voluerit quid *Ulcus* nocivum necessariò importet ipsamet eorundem me-
 dicatio. Dum enim fasciæ evolvuntur, splenia sæpissimè tabo arefacto hærentia evel-
 luntur, medicamenta priùs imposita detrahuntur; dum foedissimo pure madens *Ulcus*
 manibus operantium contrectatur, absterfionis gratià aut linamento sicco vellicatur,
 aut aquosis ab alto inspersis, ut multi solent, percellitur, tandemque novis unguen-
 tis, penicillis & novà deligatione obruitur; dum vicinæ partes quarum sensus è morbo,
 ut plurimùm, exquisitior est, hisce omnibus commotionibus laborant; fieri non po-
 test quin denuò exacerbetur phlogosis quam in parietibus suis jamdudùm conceptam
Ulcus continet. (14.) Tunc humores ad inchoatam adulterationem properant: (4.)
 Jam turgidiora vasa ampliùs adhuc infarciuntur, &, furente Naturâ, excrementorum
 subita proluvies erumpit.

31. Quæ cum ita sint, (30.) *Sancaffani* consilia prudentiæ potiùs quàm temeri-
 tatis & audaciæ plena judicaveris. Ne dubites igitur ea tantillùm saltèm periclitari.
 Quid times *Ulcus* primâ vice cooperti novam deligationem in crastinum diem reji-
 cere, tertiam in quartum, quartam in septimum, &c. Per intervalla tibi præstò sunt
 ad obfirmandum animum faustus præcedentis medicationis eventus, responsa ægro-
 tantis de præsentì valetudine interrogati, exploratus pulsu cordis & arteriarum, aliis-
 que signis *prædicis* functionum status, & si *anceps fueris*, aliqua parte lintea submove,
 aut etiam *Ulcus detege*; *unicâ enim detectione cautus existens parùm oberis.* (n).

32. Ubi hæc omnia voto competunt, crede Naturam *Ulcus*, licèt pridem medica-

(m) Vid. *Dion. And. Sancaffani aforismi della cura delle ferite*, &c. Cent. 4, §. 26. 27. Hoc opus in suam Bibliothecam Chirurgicam transtulit *Mangetus*. Vid. vol. 4. litter. U.

(n) Vid. *Cæs. Magati* tom. 1. pag. 241. cap. 39. Postquàm explicuit quomodo cognoscamu-
 vulneris statum dum linteis tegitur, hæc ad

dit: » Denique nihil mali unquam vulnere su-
 » perveniet quod peritum & ocularum medi-
 » cum lateat; & si anceps fueris, quia nondum
 » artem hanc probè sis affecutus, vulnus dete-
 » ge; unicâ enim detectione cautus existens
 » parùm oberis. «

tum fuerit, jugiter invigilare, & ab ipsismet tegumentis, quæ rarò depellit Ars amica, maximam efficientiam mutuari. Ab omni externâ offensione tuta fovetur medicamine, quod exudato *puri antiseptica* principia ad longum tempus sæneratur. (26.) Quamvis enim ex utriusque mixturâ particulæ volatiles *oleoso-spirituosæ* promptius evanescant, & in intimos parietes caloris ope resorbeantur solidis occurrentibus lenem stimulum & fluidis tenuitatem conciliaturæ, nihilominus perstant unguenti *resinoso-gummæ & resinosæ facies* in quibus firmior & vegetior vis *antiseptica* recumbit. (o) Tardiùs ad interiora resolvuntur, utpotè quæ propriâ syncrifi fixiores sint; diutiùs ergo *puri condiendo* prospiciunt.

33. Illud exinde fit (32.) *Balsamum* quoddam blandioris & tutioris commatis; quod quidem *pus* adhuc latitans ad se nativâ cognatione allicit. Ad margines aliquantulum hinc & inde exundat; ibi novum munus *defensivi* æquè salubris ac simplicis adimplet. Continuo etiã parumper imminuitur, sive in exiles vaporis halitus abeat, sive à linteis cooperientibus exfugatur, sive, fortasse quoad potissimam partem, absorbentibus vasculis intrâ corpus ad excernendorum massam revehatur.

34. Cæterum exsoluto *Ulcere* paululum ac laudabile roseis infidet carnibus. Illarum munditiam satis ergò providit Natura, nec ullam à Chirurgo manuariam expurgationem postulant. Remoto medicamento novum illicò succedit: ambientis aëris insultus quam citissimè præpediuntur: pauciores sunt partis ægrotantis commotiones; sicque per optima medicatio conficitur. (29.)

I I I.

35. **Q**UO pacto cum curatur *suppurans Ulcus*, (26. 27.) ipsius *deterfionem* seu *mundificationem* vix notabile quiddam esse putaveris; adeò facilis & expedita fuit. Ex unâquâque medicamentosi apparatus renovatione rubor nudatarum carniū renidet æquabilior, sive pristinum robur recuperaverint fibræ ab exordio morbi extenuatæ, sive prorsus effoetæ & à vivis sepositæ *puri* immisceantur. Magis ac magis, ob reſeratas obſtructiones, residere videtur inflatio labiorum *Ulceris* & partium quæ ipsi adjacent. Hæc omnia in cavum purulentum procliviora fiunt & ad ejus libellam mox responsura sunt. *Ulcus* sensim impletur ut dixere veteres; ejusdemque *consolidatio* quasi improvisa jam instat.

36. Tanta celeritate (35.) suum stadium non emetitur morbus, si juxta vulgarem consuetudinem curetur. Ex abusibus recensitis (22.) eò magis spectabile fit *deterfionis* tempus, quò magis operosa est. Qui piger humor in parte quâdam corporis animalis diutiùs stagnat, ille fibrarum sibi subjectarum paulatim texturam organicam relaxat, elementa dimovet, soliditatem aufert, vimque vitalem destruit. Istud autem

(o) Id demonstrant experimenta quibus Cel. Pringle plurimarum è substantiis vegetabilibus hisce principiis divitibus vires perpendit & inter se comparat. Vid. ad finem operis cui titulus: *Observations on the diseases of the army*, libellum de septicis & antisepticiis experim. 7. 10. 11. 12. 13. huic annuit David Macbride. Vid. *An Essay on the respective virtues of different kinds of antiseptick substances* 4. exper. Consentiant D. D. de Boissieu & Bordenave. Vid. *Dissertations sur les antiseptiques*. Dijon, 1769. pag. 42. 232.

detrimentum citius parit idem humor si putridis inquinetur myasmatibus, quandoquidem poris fibrarum intrusus principiorum ipsas constituentium dissolutionem accelerat, iis impertiendo motum *putredinis* intestinum, quo ipsemet exagitur. (p)

37. Diù ergo nequit *Ulceris* superficies fordidâ madescere puris illuvie, (29. 30.) quam è parietibus vi *septica* extorquent *unguenta digestiva* perperam adhibita, (25.) quin exteriores fibræ, quibus vividum horroris sensum prius incusserant (23.) nunc ob nimiam laxitatem nativâ cohæsione, *vitæque peculiari* defraudentur. (36.) Interim quæ altiores subjacent fibræ, nihilominus exacerbata phlogosi rigidiores exæstuant, (23. 24. 30.) & jugia succorum vitiatorum effluvia moliantur. Sic *animalis putrefactio*, quæ in mortuo largam non potitur prædam, nisi emollito, deliquescente & penitus dissoluto mixto, potest tamen in vivo maxima jura sibi astruere, dum ad parandum pabulum conspirant hinc laxitas & inertia fibrarum, illinc æstus & rigiditas.

38. Exindè (36. 37.) patet eò urgentioribus indiciis *Ulcus* exposcere *deterfionem*, quò peiori medicamentorum administratione promota fuit hujus *suppuratio*. Id profectò nullus inficiari potest, vel etià eorum, qui more à nobis reprehenso (22.) infenescunt. Exindè (36. 37.) verò quod palàm prodeat in propriam agendi rationem merita criminatio, neminùmquidem suspicantur. Ab externâ facie tantummodò totum æstimant malum: sola relaxatione carnes *Ulceris* laborare autumant: quidquid vident, morbo tribuunt non medicamento. Quandoquè tamen verentur ne *unguenta digestiva*, quibus vis emolliens affingitur, relaxationi novam ansam præbeant; tùmque ad alia confugiant, quæ *detergendo Ulceri* inserviant.

39. Quot *digerentium unguentorum* (19), tot *detergentium* formulas quisque ad libitum excogitavit. Satis fuit priorum mixtioni adjecisse vel alia *resinosa* ficcioris commatis, vel *salia neutra*, vel *præparationes metallicas*, vel hæc omnia simul: quæquidem *antisepticorum* subeunt album, & *detergendi* laude commendanda potissimùm ex eo judicantur, quod fixorum principiorum majori proventu scateant. Itaque versùs intimos partis ulceratæ recessus nonnisi tardiora projicere queunt effluvia, & diutius ad superficiem, quæ expurgatione indiget, suas facultates retinent.

40. *Unguentorum detergentium* (39) ex usu, non secùs ac *digestivorum*, eadem efflorescunt utilitates (34), dummodò iisdem legibus consonet (26, 27, 31.) Etenim quanti sit momenti, ut cautissimè usurpentur, mox enucleatâ illorum compositione elucescit (39.). Licèt vires suas lentiori resolutione explicent, eas tamen strenuo intendunt molimine, & acerrimos impingere valent aculeos, ob vim peculiarem, nec non redundantiam fixorum, queis instruuntur, principiorum. Quapropter dosi parcissimâ *Ulceri* illinienda sunt: aliundè quàm energiâ constantiori vigeant, rarioribus etiam deligationibus renovari debent.

41. At hisce regulis (40.) aliena diversissimam in partem solita praxis convertitur. Iisdem abusibus (22.) *detergentium* & *digerentium unguentorum* fallitur efficacia, idemque terè detrimentum afferunt. Tunc enim Naturæ *deterfionem*, ut & *suppurationem*,

præpostera extorquet violentia. Hoc instrumento si malum quoddam avellitur, statim alterum ingruit.

42. Primis quidem medicamenti applicationibus expurgatio quædam facta videtur: fortius commoveri non potuit carniū sensus jam acutior, quin aucta vivarum impulsio fibrarum mortuas naviter succuteret, solveret, abigeret. Verum continuo ardore vexantur ægri: lutulenta usque puris inquinati fluit scaturigo: vellicatis affiduo stimulo parietibus major allabitur humorum copia. Iis sese ingurgitari sinunt vasa debiliora: carnes ideò undequaque turgent: immutatur illarum color, quasi novâ *deterfione* opus esset: Ulcus impleri videtur: incautos vanâ *regenerationis* imagine deludit: carnes magis ac magis luxuriantur: tandem extrâ oras adulteratæ supercrescunt; unde *hyperfarcosis*.

43. Quum nostra medendi ratione prospera succedat *deterfio* (35.), adhibiti hucusque remedii necessaria absolute non est commutatio. Attamen servatis conditionibus quibus Naturæ voto obtemperat, (26, 27, 34) parum interest an ad aliud confugiamus, necne: possumus utique loco *digerentis detergens* nunc usurpare *unguentum*. Fas foret etiâ ab exordio morbi (12.) *suppurationem* fovere ipsiusmet *deterfivi* ope. Simul ac ad fibræ sensum accomodaretur, *digestivi* propriè dicti vices apprimè gereret.

44. *Apertâ vomicâ*, docente Marco Aurelio Severino... (q) nonnulli primis diebus ovi vitello alumine inspissato utuntur, scilicet ad pus movendum sale austero aliquantulum utuntur, quod inter valida adstringentia militat & vulgò *Ulceri detergendo* potissimum dicatur. « Et sanè, inquit *Cæsar Magatus*, (r) vim Naturæ in sanatione vulnerum quandoque veluti ludens & per otium observare volui, communia vulnera medicamentis adversis curans in robustioribus, & usu medicamenti suppurantis » agglutinata vidi vulnera, carne repleta & cicatrice obducta ». Concludit idem author dato quolibet medicamento nec corruptivo nec mordaci sanari posse omnia vulnera sanabilia.

45. Rictè peractis *suppuratione* & *deterfione* (34, 35.) pars ulcerata ad simplicioris vulneris conditionem adducitur. Ut omninò sanescat possit adhuc tegumentum quod substantiæ prius amissæ sufficiat. Id autem illa parare non potest, nisi propriis sumptibus, carniū, nempe, nudatarum exsiccatione; (s) & ita se res habet. Quæ innumerabilia oscula liquidorum in pus excernendorum effluviis olim invita distendebantur, (21.) eadem nunc succos parti nutriendæ inditos sponte laxant (t). Novissi ut ex arteriolâ rescissâ sanguis aliquandiu saliat indomitus: hiatum perrumpit exundans latex, donec quomodocunque frænatus impetum remiserit. Hac lege solum hæmorrhagiam sistere valet oris arteriosi contractio. Ad imminuendum foramen corrugatis introrsum marginibus superatur humor purpureus, lentescit, hæret, concrescit, & ipsemet rimulam superstitem obturat.

(q) Vid. Synop. Chirurg. Amst. 1664. p. 28. pag. 82. & seq.

(r) Vid. lib. cit. tom. 1. pag. 231.

(t) Vid. ead. acta, tom. 4. pag. 132.

(s) Vid. act. Acad. Reg. Chir. Paris tom. 4.

46. Haud aliter (45) inhibentur succi nutritii, quibus stillat *Ulceris* superficies. Dum rueret olim vicinis reflexus obstaculis liquor, huic obistere non poterant vasorum ostiola. Nunc verò, quò lentius & placidiùs irrepat, eò validiori premunt elaterio. Exindè in densitatem coit, & paulatim adauctâ osculorum, quibus glutimatur, coarctatione, ad *Ulceris exsiccationem* conspirat. Hoc opus Naturam effectricem arguit: modò à cute ambiente in centrum, modò ab utroque simul propagatur *exsiccatio*, quæ inchoata *consolidationem* & perfectâ *cicatricem Ulceris* exhibet.

47. Tramite, quo præsentem ad statum, praxim vulgarem emendando, morbum feliciter perduximus, nullum munitiorem breviorēque patere ad assequendam ejus conclusionem nostra nobis dicitur experientia. Illum ipsa tibi ratio tanquàm tutissimum indigitabit, si sedulò perpenderis mox adumbratum à nobis (45, 46.) opus, quod Naturæ superest elaborandum. Vides ut ad summum *Ulcus* tenella proserpat cuticula, carniū paulatim exsiccatarum artificiosa propago. Si tantillū ex detractōe linteorum desquametur illicò subterfluens exilit cruor. Quàm fragilis foret illa, ni, favente succorum nutritivorum coagulatione, altius incretceret *exsiccatio*! Si nihil obstat, iisdem succis extius delibuta esse debet, quatenus ipsi molliùs incumbat quidquid *Ulceri* circumponitur. Illa sic robur acquirit eundo.

48. Nihil magis utiquè (47.) juvare potest opificem (Naturam) quam infrequens partis *consolidandæ* exolutio. Ut consuetæ disciplinæ concedas aliquid, licet *epuloticorum* tum *inguentorum*, tum *emplastrorum* feracissimam excurrere seriem, & ab eâ tuum tibi pharmacum desumere, modò rariùs renovetur: licet etiā peregrinis, conquisitis & compositis, sicuti simplicioribus, medicamentis uti, modò rariùs renovetur: ipsummet linamentum siccum *Ulceri* fovendo non impar est, modò rariùs renovetur. In eo namque potissimum vertitur *exsiccationis* cardo, quod carnes in cutem vicariam induvandæ neminimū quidem ullo irritationis & fluxionis incitamento labefactentur.

49. *Ulceribus cicatrice* obducendis nuper affingebatur deperditæ substantiæ *regeneratio* quædam. Idem simulachrum certatim erexerunt novoque interdum fuco resarferunt auctores. Dum morbi historiam elucubrantur, videre est quantoperè bullulam amplificent. *Sarcoseos* vicissitudines gradusque varios mente uberrimā quisque excogitat, computat & ad hanc vel illam partis corporisve temperiem pro nutu & oportunitate accersitam refert. Prodeunt statim multiplicia casuum discrimina, & unicuique suum medicamenti *sarcotici* genus distinctum religiosè investigatur. Imò etiā à commentatione tam obsequiosâ abhorreret uno tenore progrediens in eodem casu *sarcosis*. Necessariis variationibus illam naturaliter obnoxiam asserere & iis singulis peculiarem medendi rationem assignare maximo curant studio, quo prudentiam callidiorem jactitent.

50. Undè tanta farragine (49.) theoriam obscurandi & involvendi iis ingruit libido, nisi è mutabilibus effectuum vicibus, quas oculis incautis subjecit *praxis malefuada*? Undè verò talis instabilitas rei quam Natura, dum ipsi famulatur ars amica, simplicem & expeditam præstat, nisi ex abusibus noxisque medicamentorum quibus inordinata, perturbata, ancepsque versabatur *Ulceris* curatio? Ab eodem fonte de-

cantatam olim & irrisam hodiè *sarcosis*, seu *carnium regenerationis* hypothesim perfectam fuisse arbitramur. Quùm enim rectè procedit *Ulceris simplicis* curatio, id, donec *cicatrice* investiat, ad sedimentum illa magis ac magis impellit, nedum ulliùs *regenerationis* suspicioni locum aperiat.

51. Si verò pravâ medicamentorum administratione impugnetur morbus, carnes ad tumorem gradatim intensiores deprehenduntur. Indè accidit, ut qui videndæ rei consuetudine exercitarentur, nec quid ad ipsam conferre posset vis nociva medicamentorum olfacerent, novæ substantiæ inani specie citiùs allucinandos sese præbuerint, & illam à Naturâ necessariò depromptam rati, falsam *implendi Ulceris* indicationem arripuerint. Hic error eo altiori mente repositus mansit, quod inauditum insolitumque sonabat; & idcirco potentioribus istos irretiit illecebris, utpotè qui, in propagandis scientiarum limitibus posthabitâ quandoquè nudâ ac genuinâ veritate, ad monstra, ad prodigia, ad omnia, quæ admirabilitatem sapiunt, potissimùm anhelarent.

52. Postquàm autem *carnium* germinationi promovendæ insudârunt, reipsâ sæpius usque ad *hyper-sarcosim* cumulatae turgent; sed operosius exindè in posterum imminet negotium. *Ulcus*, dum objectam sibi larvam retinet, diutius hæret *consolidari* nescium, siquidem ex depressione suâ duntaxat, non ex inflatione, ad *cicatricem* vergere potest. Tunc licet pateat error & semetipsum prodât, illorum oculis densiorem adhuc offundit caliginem. Fictitias in medio proferunt causas quibus crebrò uberiores adulescere *sarcosim* putant. (49.) Naturam luxuriæ crimine audent arguere, & ad hanc compescendam se citrà ulteriorem inquisitionem accingunt. Diverso modo alterantur medicamenta & à primâ degenerant indole, ut supervacuas carnes, vel erodendo, vel novam suppurationem expurgationemque ciendo, removeant. Sic *sarcotica* in *ex-dentia*, in *detergentia*, in *suppurantia* immigrantur: sic dubitans, circumspiciens hæsitans, multa adversa revertens morbi perperam interpretati (49.) vehitur curatio: sic etiam obliquum stimulatæ primò & dein repressæ *sarcosis* gyrum perlustrantibus ipsum recursat punctum, in quo à rectâ sanationis lineâ deflectere cœperant, & impendet opprobrium contriti frustra temporis, quo reliquam lineam absolvissent.

53. Fugiente *carnium* regeneratarum simulachro tandem sese conferunt ad medicamenta quæ *exsiccandi* & *absorbendi* potestate insigniuntur. Omnibus *sarcoticis* palmam fanè præripiunt, siquidem *Ulceri consolidando* maximè sunt accomoda. Meritas laudes iis concedunt, & peculiarem, *epuloticorum*, scilicet, classem decernunt Authores, quia illorum usui *cicatricem* connexam vident. Hujusce ordinis *unguentorum* & *emplastrorum* partem eximiam constituunt *terræ bolares*, *terræ* & *calces metallicæ*, vel penitus *insulsæ* vel ex miscelâ quâdam *salinâ* paululum *styptica*.

54. Servatis fervandis (26, 27.) tutò usurpantur hæc pharmaca. Sin aliter, crede ab ipsis, ut ab aliis suum *Ulceri* damnum intervenire. Possunt imprimis *exsiccandæ* carnes nimium perfundi & relaxari unguinibus quæ ad formam *unguenti*, *cerati*, aut *linimenti* absorbentia emolliunt. Possunt eadem vehementiori titillatione commoveri, si *unguinosis* & *absorbentibus* aggregentur acrioris indolis *salia* & *resinæ*, (ut ex publicis quibusdam formulis innotescit) & ita medicamentum *exsiccanis* & *epuloticis*

titulo nobile meram *detergentis* confectionem exhibeat. (39.) Verùm propriis indaginibus edocti fatemur ista omnia remedia quorum partes hac vel illâ ratione dispensantur, citrà ullum detrimentum admotum iri, dummodò parca & rara sit illorum renovatio. (48.)

55. Quum veritatem ubiquè investigare & illustrare nos jubeat rei, quam pertractamus, momentum & pondus; testamur Naturam in *exsiccando Ulcere* præcipuam utilitatem accipere à *tegumento* constanti, molli, lævi & æquali, quod ipsi medicamenta suppeditant. Ad exhauriendam humiditatem superfluum, indurandasque carnes, nihil profectò aut saltem paucissimùm valent *absorbentia* vel potentissima, dum *pinguedineo* involvuntur magmate quo instar *unguenti* seu *emplastri* spissescant. In eo restringitur illorum actio quod *Ulceri* circumtecto nativi caloris robur afferrent, quidquid nociturum videatur avertant, sicque suprâ dictum præstent *tegumentum*. Exindè gravissimum adhuc, ut rectè censuit *Cæsar Magatus*, sibi vindicant munus; idque nunquàm feliciùs adimplent quàm quum viri hujus clarissimi juxta circumspectam methodum administrantur.

I V.

56. **N**OS edocet Divus senex quatuor dari modos quibus progrediantur *Ulcerà*. (a) Alia in profundum penetrant; cujusmodi sunt *fistulosa*, *sinuosa*, & quæ dolosâ cicatrice occluduntur: alia in altum intumescunt ut quæ supercrescente, carne laborant: hæc latius grassantur consolidationis oblita; & ideò *depascentia*, *serpentina*, *putrida* audiunt: illa verò magis ac magis coarctantur quasi retroirent, motui, quem gratum habet Natura, obtemperant & in consolidationem vergunt.

57. Ab *Hippocrate* instituta talis *Ulcerum* consideratio multa paucis complectitur: innumeras species, quas ad ambitiosam accuratorem scholæ parturierunt, intrâ quatuor genera manifesta colligit, quæ sunt 1º. *Ulcerà cava*, 2º. *Ulcerà tumida*, 3º. *Phagedænica* seu *dyssepulotica*, 4º. *Synepulotica*, seu ad cicatricem prona.

58. Supervacaneum est animadvertere ultimum id genus reliquis præcellere: nemini non liquet ipsum esse *Ulcus simplex*, de quo hucusquè disseruimus, (in secundo, nempe, & tertio paragrapho). Ad pacatum hujus statum cætera compellere *Ulcerà* operæ pretium est. Huic laudabile, illis verò magis minùsvè adulterum *pus* inest. Quod si in omnibus sincerum evaserit, curationis scopum procul dubio tetigerimus. Ut autem in eum medicamenta certius collineemus, inquirere priùs expedit quo pacto *pus* variam corruptionis labem accipiat.

59. *Pus*, ut supra diximus, *tanquam sobolem putredo sibi vindicat*, (7.) in hanc sententiam nos illexit eadem veritatis species quâ ad *inflammationis* Phænomena soli *irritabilitati* tribuenda adducimur (x). Censemus equidem truciori constantiorique stimulo accensâ *irritabilitate* vim contractilem solidorum ità incitari & quasi interverti

(a) Vid. lib. de medico.

(x) Vid. *Essais sur différens points de Physiologie* par. Socio, pag. 97. & seq. Hæc facem prætulit *Franciscus Boissier de Sauvages*. Vid. No. &c. auth. *Clar. Fabre*, Acad. Reg. Chirurg. *sollog. method.* tom. 1. pag. 263.

ut in locum irritatum, rivulis undique confluentibus, ruere (*y*) cogantur liquida, quæ in statu naturali per circumposita vasorum capillarium reticula variis huc & illuc rapiuntur meatibus, & ibi peculiarem quamdam circulationem extrâ Cordis dominatum absolvunt (*z*).

60. Quamdiù urget stimulus, increfcit humorum coacervatio, vividioribus fibræ subsultant impulsibus, vehementioribus inter se collisionibus atteruntur, ac proinde caloris copia major expanditur (*a*). Sed ad calorem augendum evolvi nequeunt ignis particulæ, quin primo impetu excutiant & diffent tenuissimas liquidorum particulas: (*b*) utique spissiora evadunt illa, dum magis ac magis congesta sibi mutuò progrediendi facultatem ipsamque viam præpediunt, & reverâ stagnant in centro partis inflammata compressis ingurgitata & obruta tubulis (*c*).

61. Quî fit igitur ut, quùm afferuntur in posterum continua calori aliisque symptomatibus morbum stipantibus incrementa, radices agat *suppuratio* (*d*), & iisdem sensim imminutis existat dein adulta & prævalida (*e*), nisi adsit motus quidam intestinus soli *putredini* mancipatus, quo nucleus densatis liquoribus angustatisque fibris compactus in lutulentum laticem, *pus* dictum, abeat.

62. Et sanè, ubicunquè imminet *suppuratio*, ad fovendam *putredinem* convenire videntur mutuo juncta foedere *materia*, *locus* & *calor*. 1°. Quidem *materia* suapte naturâ ad corruptionem propensissima hæret infixâ vasis inertibus, adeoque *putredinis* capacior est. 2°. *Locus*, in quo nidulatur fomes *suppurationis*, undiquè concluditur & quàmplurima hujus effluvia coercet, quæ nova fiunt colliquationis & fermentationis irritamenta. 3°. *Calor*, si remittatur, si intendatur, consistit usquè intra gradus intestino motui *Putrefactionis* affines, & non potest quin huic soli famuletur. Eventus autem comprobât talem esse naturam *materiæ suppurationis*, ut in *pus* mali moris degeneret, si vel seignior vel ferventior aderit ille *calor*, & laudabilem accedere *suppurationem*, si gradum sanitati conterminum idem non multum exuperet (*f*).

63. *Pus* quod à *Phlegmone* abscedit idem profectò non est, ac si ab *Ulcere successuro* scateret. Hic, quamvis sat purum quandoquè appareat, tantam bonitatem nunquam fortitur, quantam illic comparaturum est.

64. In *Phlegmone* ad *rubedinem* accumulatur sanguis; ad *œdema* circumfunduntur humores aquosiores; ad *suppurationem* prima contabescit sanguinis tenuissimo sero inopis rubra pars reliquis crassioribus immixta. Illo deliquescente coagulo focus *putredini* subditur in quo rapiuntur serosa seu lymphatica liquida, si à mixtione sanguinis in vicina interstitia fuerint difflata (60.), si propriis congesta tubulis immorentur (60).

(y) Vid. opus cit. Clar. Fabre, pag. 99.

(z) Id. pag. 73. & seq.

(a) Id. pag. 115. & seq.

(b) *Vanfwieten*, comm. in Aphor. *Boerhaavii*.
§. 382. n°. 4. §.

(c) Vid. opus cit. Clar. Fabre, pag. 119.

(d) Vid. Aphor. *Boerhaavii*, §. 387.

(e) Vid. eod. Aphor. §. 405.

(f) Vid. comm. *Vanfwieten*, &c. §. 403.
n°. 13.

Si omnibus hisce liquoribus addas interclusa solida & obvium in textu cellulari adipem, habes quidquid deprædetur *purulenta inflammationis putrefactio*.

65. Ast *Ulcus simplex* continere non debet fontem puris tam multiplicem. (64.) Quò longius à Phlegmone prævio distat, (63.) eò minor est irritabilitatis stimulus, liberior fluidorum per minima capillamenta vasorum aditus, validior carniū tonus; ita ut si qui succi per oscula in superficie *Ulceris* hiantia divertantur, hi sint tennes, fidei, merè nutritii, & ex iis solis oriatur *Pus exquisitè laudabile, humor, nempe, albus, spissus, lævis, glutinosus & minimè fætidus*.

66. Exinde patet (63. 64. 65.) non mirum esse cur *Pringle* & *Gaberius* (g) non sine quâdam detectæ veritatis fiduciâ hæserint in obtutu variorum egregiæ similitudinis indiciorum, quibus sibi invicem congruunt (h) *Pus illud optimi moris* (65.), & *fæculentum crassamen* quod deponit *serosa pars sanguinis*, dum in phialam infusa ad gradum caloris humani putrescere incipit. Hæc duo subjiciunt oculis materiam *mucido-terream*, favente motu intestino, separatam è suo *menstruo aquoso*. Illud autem *menstruum* porosâ *Ulceris* superficie cooperientibusque linteis sensim exhauritur, dum è contrâ *crassamento* innatans intrâ parietes phialæ vitreæ cohibetur.

67. In hoc consistit summa experimentorum, quæ hi Viri percelebres (66.) egērunt, quod 1°. omnium humorum scaturigo *sanguis* fœdissimâ putredine citò resolvatur, dum in illam nonnisi leni modicoque lapsu defertur *pars serosa* ad eundem caloris gradum seorsim fermentescens (i) 2°. hujus *partis serosæ crassamentum* primo *putrefactionis* tempore conspicuum à *laudabili pure* diffideat, in pejorem mutationem inclinet, & cum variis *puris mali moris* speciebus admodum consentiat, si variis substantiis à *sero* alienis inquinetur, v. g. parte rubrâ sanguinis, bile, adipe & solidis erosis. (k)

68. Hisce observationibus (67.) fretus ausus fuit concludere *Gaberius* solum serum sanguinis eximium, immò etiâ præcipuum, *puris* elementum esse. (l) Ingeniosissimi viri pace dixerimus adeò restrictam nobis non arridere *puris* originem. Si, loco *partis serosæ sanguinis*, *fluidum gelatinosum* explicatè & generaliter acceptum proponeretur, optatum lumen nihilofecius spargerent ejus experimenta, & totam hypothesin exciperet minùs dubia suffragiorum alea. In *miraculis officinæ chemicæ* ita connivendum non est, ut qualem modum iis adhibeat *animalis officina* non attendamus.

69. Molem absolutam humorum uno intuitu complectentibus nobis videtur *fluidum gelatinosum* inter omnia illorum elementa ubertate suâ præcellere. Si quolibet corporis recessus penitiores rimamur, ibique magni Oceani varios sinus sigillatim perlustramus, eundem laticem præ cæteris exundantem conspiciamus, sive rubra vasa

(g) Vid. Tractatum suprâ laudatum de septicis & antisepticis, & Miscellan. Physico-Mathemat. Societ. privatæ Taurinensis, tom. 2. an. 1761—62.

(h) Vid. *Pringle* exp. 45. *Gaber.* §. 7.

(i) Vid. *Pringle*, exp. 2.

(k) Vid. *Gaber.* §. 18.

(l) Vid. eumd. §. 8. & 13.

ferè totus impleat (quùm reverâ sanguineæ mixtionis fit pars maxima), five propriis contentus canaliculis puro flumine irriget & nutriat intimam solidorum compaginem, five deniquè per tractus membranæ cellularis quoquoersùm distributos instilletur, secretâ tum inhalatione tum exhalatione renovandus, & humori adiposo, ubicunquè occurrit, immisceatur.

70. Nullus igitur amplior illo fomes datur cuivis *suppurationi*, etiamsi ad præstruendam *inflammationem* omne genus fluidorum agglomeret *irritabilitas*: (59.) proindeque ut virorum laudatorum (66. 67.) experimenta ad œconomiam animaleam quam plurimum accomodentur, & breviter etiam colligantur res omnes de quibus circa *suppurationem* verba fecimus (59 — 70.) nobis fas est asserere ab hoc humore *gelatinoso* constare *pus* laudabile, si 1°. non diutiùs protrahatur hujus *putrida fermentatio*, 2°. si calore foveatur ad gradum suprâ fancitum (62.) temperato, 3°. si quam maximè sincerus sit, id est, si minimâ partium eterogenearum accessione corrumpatur. (67.)

71. Præcipuum, quod ex eâ doctrinâ emergit (70.) & rem nostram attingit (58.) præceptum, illud est: ut *Puri* scatenti quocunque modo muniatur via declivis, quâ *Ulceris* ad exteriora loca & ad spongiosam appositorum linteorum coagmentationem spontè subrepat. Dùm intrâ oras diutiùs retinetur, gradum addit *putrefactio*, & quæ priùs materiæ purulentæ blandam indulgebat indolem, ipsi nunc acerrimam fuscitat: adversa solida dein invadit, macerat, erodit: id omne in faniosam colluviem rapit.

72. Hocce modo (71.) *Pus* variâ labe deturpatur: vel lividum, vel nigricans, vel subviride, nunc dilutius, nunc crassius, in grumos sæpè inspissatum, &c. gravem emittens foetorem. Non alias fermè mutationes patitur *Pringlianis* & *Gaberianis* tentaminibus explorata serofitas. (67.)

73. Quanta damna invehat *Pus mali moris* (72.) nemo nescit. Nervos pungit, quocumquè penetrat & Phlogosim accendit novæ purulentæ incitamentum. Continuum autem carnibus horrorem incutiendo resistit eruptionibus *foculorum phlegmonodum*, qui passim in cavo *Ulceris* distribuuntur. (*m*) Quum suam quisque *suppuratiunculam* expendere ultrò deberet, id solum projiciunt, quod aquosius ostiola corrugata permeare & in ichorem abire valet. Reliquam verò sordem intùs repressam foveant, cujus omnia principia quassare perseverat *motus intestinus*, tenuiora porulis absorbentibus ebibenda propinat *calor auctus*, & terrestria ad majorem indurationem retinet *locus*.

74. Sic (73.) incarcerato *pure* (72.) obduci callosam concretionem *Ulceri* instituta nobis dictitat hypothesis (59.). Si quid rectiùs istâ noveris, eamdem materiam in callositate nobiscum saltem agnosces, terram nempè animaleam, quæ lymphæ & aliis succis gelatinosis basim suppeditat.

75. Hisce malis (71. — 74.) ansam dare potest *unguentorum* & *emplastrorum* abu-

fus. Dùm priora largiùs profunduntur, (22.) ab iis certè non secùs ac à *pure* corrupto (73.) exstimulatur fibrarum sensus (23.): aliundè æstu immodico jamjam vi-
tiosos liquores ad suppurationem trahunt. (37.) Deniquè quùm puri non sint dis-
lubilia nisi subtilioribus effluviis, cutem finitimam non delibant nisi quâdam tenacitate;
adeoque quò latius ab iis *Ulcus* circumfidetur, eò difficilior fit secessus (71.) puru-
lentiæ cujus proventum plus æquo adaugent. (29. 30.) Si ergo parcâ manu adhiben-
tur, tale detrimentum per se non afferent.

76. Quomodo ad eadem mala (71. — 74.) conspirare queant posteriora (*emplas-
tra*) demonstrato vix opus est. » Dum illud medicamenti genus, inquit Celeb. *Louis*,
» adhærescit circumjectis Ulceri locis, obturat poros, occasionem dat pruritus erefi-
» pelaceo: copiosiores promovet suppurationem, quatenus perspirationem cuta-
» neam intercludit; & materiam purulentam intra *Ulcus* vicinave loca coercescit. » (n)

77. In eo perficiendam judicamus vulgarem Praxim, quod eminens ab *Ulcere* exulent
emplastra quæcunque nimio glutinosarum substantiarum farragine concreverunt, &
adeò mordicis hærent, ut non summoveantur nisi admodum defatigata & cruciata
fuerit ægra pars. Illa nos juvant quorum ad consistentiam obtinendam sufficiunt po-
tissimum *cera* & *metallici pulveres* insulsæ prorsus indolis, ad minuendam vim glutinis
parcior inest *materiæ resinose* dosis, & ad vitandam rancorem varia *ingredientia* in legi-
timam coctionis temperaturam concorporantur. » Multigena illorum compositio, si
» *Sancaſsanum* audiamus, solam ostentationem sonat: & eò magis innocuum reme-
» dium quò simplicius. » (o)

78. *Ulceres cava*, (57.) qualiacunque sint, (56.) in se ob suam peculiarem formam
recondunt materiam purulentam & cuncta mala ejus retentionem comitantia. (71. —
74.) Serpit tabum obliquis tramitibus: abstrusiores in dies, & turpiorem sibi car-
cerem fodit: omnia contactu foedans ad ipsamet ossa delabatur, quæ morfu obscuro ve-
nenat. Nil dubii est quominus huicce *Ulcus* generi præsertim noceat improbus *un-
guentorum* & *emplastrorum* usus. Ipsum profectò præ cæteris postulat spontaneam
illam excrementorum expurgationem de quâ locuti fuimus. (71.)

79. Itaque priùsquàm quid diversum pertentetur, *confugiendum est ad omnes artes qui-
bus ita immutetur dimensio directioque ulcerose excavationis ut ab eâ facili recessu ferus
hospes demigret.*

V.

80. **I**LLAM observando legem (79.) anteoccupamus quæ opponi possunt in præ-
senti casu contrà raram *Ulcus* exsolutionem. Alitur equidem vitium (78.) vi-
vitque tegendo, dum ad hoc resecandum medicas adhibere manus abnegas. Verùm si
fistulas audacter explicaveris, si ossa cariota nudaveris & ferro vel igne purgaveris,
si per sectionem oportunam vel fasciam expulsi-
vam, vel contra-aperturam à *Pure* re-
side sinus liberaveris, si istud ad exteriora proclive feceris aptâ tum membri collocatione,
tum medicamentorum & linteorum dispensatione, jamjam vides quòd omnia evanue-
rint obstacula.

(n) Vid. *Dictionn. Encycl. Art. EPLATRE.* | (o) Vid. *Aph. 61. Centur. 2.*

81. Nihil igitur præstantius agendum tibi superest quam si te totum convertas ad raram medicationem, utpotè quæ cumulum adjiciat omnibus curis quas mox suscepisti (80). Etenim in aggrediendo morbo ita animatus esse debuisti, ut quam citissimè egregiam Naturæ operam obtineres & imperturbatam tuereris. Quùm verò varios repuleris affectus qui ad implicandum *Ulcus* accedebant, (80.) veram ejus Medicatricem ab expectato labore arcebant, & in deteriore partem usquè rapiebant, nunc profectò suam Naturam manet jus laborandi, illamque religiosè defendere & protegere tuum est.

82. Id autem ad perfungendum officium viam tutissimam monstrare infrequentem deligationem pro certo tenemus. Ufu enim cognovimus Naturam inveterato obumbratam tegumento minores callositates, si quæ sint, emollire, reliquas & carniū & ossium sordes amandare, sicque ad simpliciorē conditionem morbum proprio Marte adducere.

83. Hæc methodo (§1.) tractata brevi subsident & in consolidationem flectuntur *Ulcera* quæ in altum intumescunt, (56.) quæque idè appellavimus *tumida* (57). Si ex inflatis carnibus protuberent, ceu ex *hyperfarcosi*, iis nullam admovemus è substantiis *cathæreticis* quas praxis vulgaris commendat. Sicco linteo vel linamento utimur, cui emplastrum quoddam (77.) licet superaddere. Nobis paulò mox optatam mutationem morbus exhibet & exindè *caustica*, seu *erodentia* medicamenta, sin minùs nociva, saltem huic inutilia judicare audemus.

84. Si ex *inflammatione* turgat pars ulcerata, hujus levandæ causâ seligimus *unguenta* vel *emplastra* quorum principia vinculo cognationis æquiparantur, & in obtundendam irritabilitatem consensu mutuo inclinant. Rejicimus omnia, quæ non nisi inconditâ *laxantium* & *tonicorum* complexione coalescunt, & ab his *maturantia*, ab illis *suppurantia*, ab aliis *emollientia* prædicantur. Qualemcunque effectum exerant, non videmus quorsum spectent illorum stimulantia principia ubi fibram irritatam demulcere sola indicatio est. Certè *Ulcus* ita affectum hisce medicamentis læditur, ut & aeris externi contactu, quandò crebriùs exsolvitur.

85. Tanra est raræ medicationis excellentia ut in *ulceribus*, quæ *putrida*, *depasscentia*, *dyssepulotica* diximus, (56, 57.) maximam sanationis provinciam sibi vindicet. Neglectâ ex omni tempore lege illâ curationis præcipuâ, necessariò claudicavit remediorum administratio, & irriti plerumquè cessere medentū conatus in impugnando morbi genere, de quo nunc agitur. Illud deterrimum existimant authores, & quamvis largam armorum copiam in medio proferant, anceps prælium fatentur, certatimque animis videntur deficere. Plurimi è veteribus causam occultam & abditam accusando rei nodum expediisse credunt.

86. In eò intentam vidimus vulgarem praxim, ut quàmaceris remediiis subigeretur malum. Ad hunc finem vidimus *emplastrorum* & imprimis *unguentorum* compositionem hac vel illâ ratione reformatam, adauctam, innovatam: vidimus iis adjuncta aut suffecta diversæ formæ alia medicamina: vidimus iteratam multoties partis ulceratæ exsolutionem. Quid indè? Fefellit eventus; infenuit malum. hæc dixisse satis est ut abusus & noxæ palam prodeant.

87. Centum ab hinc annis nos hoc commonebat *Sancaſſanus* quod « Ulcera quæ » variis implicantur accidentibus , quæ peſſimi moris purulentia ſqualent , quæque » multiplici pharmacorum ſupelleſtili reluctantur , efficacem tamen accipiant opem , ſi » ſpretis medicaminibus compositis rariùs deligantur » (p). Effati huiusce veritatem confirmat virtus *emplaftri* quod (q) *Aſclepiades Pharmacio* (r) *Ulceribus putridis* imponebat. Tertiâ quâque die ſolummodò partem ſolvebat , idemque *emplaftrum* ablutum & emollitum rursus ad eam accommodabat , donec cicatrice obduceretur.

88. Illum curandi modum laudat *Galenus* : medicamento vires perpendit , applicationemque perficere tentat *ingredientium* proportionem variando , prout morbi discrimina poſtulant. *Aſclepiadi* ſimiliter annuit *Ambroſius Pareus* , & ex illius praxi , quam ipſe expertus fuiſſe videtur , occaſionem ſumit objurgandi eos qui crebriore , tum abſterſione , tum deligatione *Ulceras putrida* fatigant (ſ).

89. Ex allatis (87, 88.) conſtat quod in preſenti caſu (85.) maximam ſanationis provinciam , ut ſuprà diximus , rara medicatio ſibi depoſcat. Noſtra hæc aſſertio inconcuſſa remanebit ſi propriâ innixi obſervatione adjicimus rem feliciter uſque ſuccedere licet neglecto *Aſclepiadis emplaftro* , diverſa apponantur , aut ipſamet *unguenta* illiniantur. Aliundè enim *Ulceri putrido* aptari poteſt utraque medicamentorum ſpecies , dummodò cautè & diligenter illorum compositio & applicatio diſpenſetur , (75 , 76 , 77.) ne materiam purulentam coerceant , aut ſtimulis acutioribus fibram dolentem urgeant. Illâ conditione ſervatâ nihil obſtat quominùs principia antiſeptica , quibus hæc inſtruuntur , leni calore ſenſim evoluta ad elidendam *putredinis* ſtirpem cum Naturâ conſpirent.

90. Attamen ſi ſtudioſè contemblemur quo in ſtatu verſentur fluida & ſolida partis quam *Ulcus putridum* voracibus corripit & depaſcitur amplexibus , diſſimulare non poſſumus *formam unguentariam* aut *emplaftricam* impedire quin ad propellendam luem omnibus ſuis facultatibus vigeant antiſepticæ materiæ. Aliquam nobis authoritatem afferre videtur *Celeb. Bordenave* quùm hæc dicit : (t)

91. » Nullum eſſe poteſt dubium quominùs ſubſtantiæ vegetabiles , quæ principiis » gummoſis & reſinoſis ſcaturiunt , inter antiputrida externa militent , ſiquidem » nudæ vel etiâ aquâ infuſæ carnem putrefactam ad priſtinum ſtatum reſtituerint. » (*Pringle* , exp. 13 , 14. *Macbride* , eſſai ſur les vertus reſpectives des *Antiſeptiques* , » exp. 22.) Verùm ut efficacioreſ evadant , oportet proximis carnibus inducantur , » & removeantur cætera pingua ac unguinoſa medicamenta , quæ efficientiam illa- » rum aliquatenùs imminuerent. Ob hancce attentionem neglectam veroliſſimum

(p) Vid. Aph. 39. Centur. 4.

(q) $\frac{1}{2}$ ſquammæ aris , ærugin. ruſæ aa $\frac{1}{2}$ cera $\frac{1}{2}$ lib $\frac{1}{2}$, reſinæ laticis $\frac{1}{2}$ lib. eaque liquari poſſunt aridis affundantur , &c. Vid. Galen. de composit. medic. per gener. l. 4. cap. 4.

(r) Vid. Hiſt. de la Méd. par le Clerc , cap. 10. lib. 3. part. 3.

(ſ) Vid. *Ambr. Paré* , oper. lib. 13. cap. 10. & 11.

(t) Vid. *Diſſertat. ſur les antiſeptiq.* pag. 232.

» est in curatione vulnerum tantam non affulsiſſe illarum ſuſtantiarum virtutem ;
 » quanta fuiſſet exoptanda. Ad uſum externum inſervire queunt ſimplices aut com-
 » poſitæ infuſiones *croci* , *ſalviæ* , *angelicæ* , *abſinthii* , *ſerpentariæ virginianæ* , *chamæ-*
 » *meli* , *kinæ-kinæ* & *aqua picea* quæ effectus egregios oculis ſubjecit «.

92. Itaque laudatus author humidâ ſeu aquoſâ formâ donandas eſſe exiſtimat
 materias de quibus mentionem fecit , ut in *officinâ* tum *animali* cum *chemicâ* eadem
 edant miracula. Sed ipsis haud imparia fore meritò dixerimus reliqua *antifeptica* ,
 quotiès ſub formâ prædicatâ *ulceribus* admoveri poterunt. Tunc enim habes in prom-
 ptu medicamentum quod ex omni parte humoribus diſſolubile , & proindè vafis pe-
 netrabile in liquida & ſolida æquo jure dominaturum eſt.

93. Illam poteſtatem jam tenet *aqua* ſeorsùm conſiderata , quippe quæ potiſſimum
 mixtionis animalis elementum ſit , & ideò promptiùs ſubire valeat quocumque ſibi-
 metipſi obvia fuerit. Quùm aliundè *antifepticorum* conſortionem patitur , illorum
 particulas ſolummodò ſecum invehit & diſſeminat , quas , ob peculiarem tenuitatis
 affinitatem , in gremio ſuo ſuſpenſas , ſuiſque globulis intermiſtas retinet. Æquabi-
 liorem ſanè facilioremque vim per totam partem ulceratam diſſundit medela , quæ tam
 accuratâ partium combinatione mixtioni animali admodum germana ſit.

94. Aquoſum ampliando vehiculum , poteſ pro arbitrio *antifepticorum* humidâ
 formâ inſtructorum acedinem nimiam obtundere , ferocioremque in nervos impetum
 frænare : nec inde timeas ne ſalubris eorum efficientia langueſcat. Si vel leviores
 infuſiones *chamæmeli* , *ſerpentariæ virginianæ* , *Kinæ-kinæ* & aliorum vegetabilium
 acerrima tela *Pringlio* (u) miniſtraverint quibus diatheſim putridam ab intégris car-
 nibus arceret , ipſasque jam adorientem fugaret , multò lubentius certè ad illam
 debellandam eadem medicamenta *Ulceribus* comparare debes , aut alia quæ blandam
 eorum indolem gerant.

95. Perſuaſum tibi ſit quod nuſquàm tutiorem promptioremque operam in corpore
 vivo conferant *antifeptica* , niſi quùm , illæſo nervorum ſenſu , diſpenſantur. Ubi
 vitalem *irritabilitatem* exaſperant , morboſus graſſatur tumultus , promovetur *Put-*
refactio & medicamenti fallitur efficacia (11). Vidimus in longum tempus faſtidioſè
 protractam curationem *Ulcera carioſorum* , quæ crebris inunctionibus *tincturarum myrrhæ* ,
aloës , & aliarum hujusce generis vellicabantur : eadem tamen curatio nobis expedite
 ſucceſſit , nec aliud medicamen *exfoliativum* attulimus quam aquam hiſce tincturis ali-
 quantulum lacteſcentem.

96. Sic diluta & temperata (91—95) *antifeptica* benigno ſemper & efficaci rore
Ulcerâ conſpergunt , ſive minori , ſive majori quantitate linamentis aut linteis affun-
 dantur. Quamobrem *forma humida* commodior eſt *unguentariâ* , quæ carnes blandè &
 ſalubriter non afficit , niſi quandò medicamentum parcâ doſi illinitur. Id enim non
 poteſt quin ad acedinem uſquè particulis *antifepticiſ* affluat , ut penitus obvolvuntur

(u) Vid. lib. citat. exp. 7, 10. 11. 13. 16. 17.

pingues & oleosæ quarum vis intempestivè laxans, non secùs ac aliarum acredo, *putredinis* ausam daret. Ne igitur in Scyllam incidas Charybdin vitare cupiens, veluti medium iter tenendum, parcam *Unguentorum* inunctionem te monet Natura.

97. Qualemunque agendi copiam *antisepticis forma emplastica* faciat, ad id profectò minùs accommoda quam *aquosa* tibi videbitur, si hujusce posterioris recensitas utilitates (91—96.) ponderaveris. Attamen utraque ad majus emolumentum simul coadunari potest, ita ut *emplastrum* non ex se ullam virtutem *antisepticam* propriè dictam exerat, sed medicaminis *aquosi* volatilia ac potentiora effluvia cohibeat, & intrò repercutiat. In hunc usum apprimè veniunt *emplastra* simpliciora. (77.) Dum congruum *Ulceri* tegumentum suppeditant, circumjectam cutem vi merè *emollienti* demulcent & exindè simplicioris ac forsan tutioris *defensivi* munus capeffunt.

98. Non solum *Ulceri phagedanico*, (85.) sed & plerisque *Ulcera* discriminibus competit *antisepticorum forma humida*. Testem advocamus clarissimum Chirurgiæ militaris instauratorem *Bellostium* (v) qui vulgaribus *unguentis decoctum foliorum nucis* efficaciter suggererat. Quæcunque de usu *materiæ humidæ in re Chirurgicâ* discerpfit è variis authoribus & collegit *Marcus Aurelius Severinus* (x) utriusque Medicinæ laus & decus, totidem sunt nostræ assertionis argumenta, & ad scopum ferendum, sanandum, nempe, morbum, alteram nobis viam referant.

99. Ea est institutæ quæstionis (8.) significatio, ut à vulgari praxi removeri tantùm jubeat abusus *instrumentorum* quibus *externa Ulceris medicatio* perficitur. Nihil igitur nobis exquirendum incumbit circà aliud *medicationis* genus, quod interiora spectat, & restaurationem intendit universæ solidorum & fluidorum constitutionis, quando eorum labes infixum ad exteriora vitium alit. Nostrum est solummodò animadvertere eò majoris esse momenti hanc internam *medicationem*, quò insignioris *virus* additamento morbus implicatur, & ab eâ proficisci tutam, citam, & jucundam alterius *medicationis* fortunam.

100. Si autem *Ulcus virulentum* (7.) duplicem medendi rationem efflagitet, multò accuratior esse debet ea quam emendare tenemur. Quùm enim complexior & difficilior res sistat, intricatiores ipsi nexus addit provida minùs *instrumentorum* admotio. Deductam exindè vidimus innumerorum *Ulcera* pertinacem & longam tùm adulterationem, tùm inveterationem, etiamsi jampridè expurgata fuisset *cacochymia* quæ morbo primos aculeos injecerat.

101. Pleraque incommoda enumeratis hucusquè abusibus connexa testantur solitâ curandi consuetudine fortiùs exstimulari quidquid irritabilitatis *Ulcera* inest. Ars medelam nimis actuosam confert: attentantur Natnræ jura: morbus, ut plurimùm, in pejus ruit. Si fortassis ad optatum curationis exitum pervehatur, propterea quod

(v) Vid. *le Chirurgien d'Hôpital*.

(x) Vid. *Trimembris Chirurgia*, lib. 5.

adversos artis conatus superavit benigna Parens, laus tota medicationi ac medicanti tribuitur, & in errorem poenè irremeabilem præjudicatæ opinionis mens altius rapitur.

102. Attamen ex his omnibus, quæ ad emendandam vulgarem praxim nobis dictârunt ratio & experientia, liquet Naturam omni impedimento semel liberatam blandiora tantummodò sui laboris incitamenta ab arte exposcere. Nec certè aliud cupit ut in sanandis *Ulceribus virulentis* strenuâ ope gaudeat.

103. Quùm agitur v. g. de *syphilliticis*, ipsius votum explere non potes quin ab externâ medicatione *unguenta aut emplastra* mordaciora rejicias. Optimum sanè remediis topicis *hydrargyrum* addere, siquidem ad *putredinem veneream* è suis focus exturbandam non mediocriter telum sit. Quântum verò mutatur ab illo, si acidi mineralis cujusdam combinatione *escharoticum* evadat! Quam infida talis mixti efficientia! crebram attestari audemus morbi exacerbationem.

104. Laudent alii *mercurium præcipitatum album*, vel *rubrum* & præcipitados omnes causticos: nobis sufficit extinctus *saccharo*, aut *sulphure*: tunc nullam habet vim erodendi: *ulceribus* paululùm inspersus ferociam *virus* mitigat, sordes abigit, callositates emollit & consolidationem promovet. Huic si addas pro oportunitate *unguentum Cokburnii ex ovi vitello* edulcoratum, vel *emplastrum neapolitanum*, habes quidquid *ulcerum syphilliticorum* externæ medicationi suppetat.

105. Etsi *Ulceres scorbutica* sæpè carnibus inquinantur, quibus nigrum colorem induxit & omnem sensum abstulit Gangræna, plerùmque nihilominus irritabilia magis sunt & à medelâ violentâ magis abhorrent quam *syphillitica*. Quî fit ergò ut mos invaluerit ea vellicandi crebris unguentorum acuminis haud expertùm profusionibus, quùm dein morbus latius grassari & deprædari visus fuerit.

106. Ita nos affecerunt propriæ observationes & experimenta, ut offensionis, si non comperta, saltem suspecta censeamus medicamenta, quorum effectus excipit morbi furor exasperatus. Nonne in præsentî casu (105.) suppositas crustis gangrænosæ carnes occupat phlogosis jure *putredinis* alimentum condians? Nonnè igitur in *antiphlogisticis antiseptica* vis potissimùm inquirenda?

107. Quidni vestigiis *Severini Eugaleni* insisteremus? Cum *oleo rosarum*, *vitello ovi*, *farinâ tritici*, *olibano* & *melle* paucissimo blandum medicamen *Ulceri crustoso & nigro* parat (y) ipsique arridet eventus. Authorem sibi asserit *Hippocratem*, qui, carnibus nigrefactis suum *ceratum album* illiniendo, eas monet ad suppurationem separationemque perducendas esse non acribus sed lenibus medicamentis. (z)

108. Non aliter se gerebat *Joannes Woodall*, Chirurgus Anglus cujus opera ab immeritâ oblivionis injuriâ vindicat *Macbridius*: (&) hunc sic alloquentem inducit? » *Ægrè*

(y) Vid. lib. de morbo scorbutico. Hagæ com. 1658. pag. 178. 179.

(z) Vid. de fracturis.

(&) Vid. *Traduction Franç.* par M. Abbadie, Chirurgien de S. A. S. M^{te}. le Duc de Penthièvre.

» consolidantur Ulcera scorbutica, donec reſeratae fuerint hepatis & lienis obſtructiones.
 » Quapropter reſpuito quidquid irritat & nimium commovet : ad ſola anodyna & de-
 » mulcentia confugito : ſi enim contrarium feceris , æger fruſtra vexabitur , ejuſque
 » malum ingraveſcet , nedum ullo conamine torrentem morari valeas «.

109. Jamjam contrahenda ſunt vela. Si ulteriorem *Ulcerum* indagacionem proſeque-
 remur, in eundem gyrum ſaſtidioſa vagaretur oratio, & crambem repetitam uſque mo-
 veremus , quum è fauſtâ cujuſvis *Ulcerum* ſpeciei curatione , eadem ſemper , Naturâ
 monſtrante , refulgeret concluſio :

Ergo ad feliciorẽ citioremque Ulcerum curationem confert blandior & rarior medicatio.

Typis manderetur BERCHER , ex-Decanus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joſephus - Ignatius
 GUILLOTIN.

M. Ambroſius - Auguſtus
 BELANGER.

M. Anna-Carolus LORRY,

M. Carolus-Jacobus-Ludo-
 vics COQUEREAU.

M. Franciſcus - Maria
 LE MOINE.

M. Bernardus-Nicolaus
 BERTRAND.

M. Joannes-Baptiſta-Mi-
 chaël BUCQUET.

M. Joannes-Auguſtinus
 COUTAVOZ.

M. Stephanus-Ludovicus
 GEOFFROI, Regi à
 Conſiliis & Secretis , & So-
 cietatis Botanicæ Floren-
 tinæ Socius.

Proponebat Pariſiis JOANNES-FRANCISCUS-JACOBUS ROUSSILLE
 DE CHAMSERU, Carnutæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis
 Baccalaureus nec-non Theſeos Auſtor. A. R. S. H. 1772.

A SEXTA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU , Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1772.